



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Diabolus ceremonias ex Ecclesia profligavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

lis, quæ Constantini tempora præcesserunt, durâ-
te persecutione, coacti sunt Christiani simplici
Dei cultu contenti esse, impediri quo minus pos-
sent solemnem eius ordinem constituere, vt postea
factum est, quom per conuersionem Imperatorum
pax contigit Ecclesiæ, ita vt iam possent cum Gen-
tilibus pari Marte congredi. Quapropter frustra
se cruciat Plessæus, dum conatur ostendere, eum
Dei cultum, qui hodie viger in Ecclesia Christia-
na, ab initio talem non fuisse. Neque enim ignora-
mus, tenuitatem illam, qua tunc laborabat Ecclē-
sia, exiguum Christianorum numerum, & igitur
denique persecutionum obstidisse, quo minus
Templa ista magnifica ædificarent, eaque tantis
opibus & tam pulchro ornatu instruerent, & tanto
cum apparatu Deum colerent: & nihilominus ra-
men cultus idem fuit, condecoratus postea multis
ceremonijs & diuitijs, impleto scilicet eius rei
tempore, ab Esaiâ prædicto.

IV. Sane quæ pulchra sunt, semper pulchra sunt:
verum vt adamas aut pyropus bracteolæ impo-
situs, fulgorem acquirat multo maiorem nativo: ita
cultum diuinum multo augustiorem efficit pul-
chrum sanctarumq; illarum ceremoniarum ac-
cessio, quamuis apud Ethnicos etiam bona parte v-
sitarum, sub quibus sublimissima & præstantissi-
ma mysteria, non secus ac vna sub vinearum pam-
pinis, abscondita latent. Sed quantumuis insit illis
pulchritudinis, erraticis tamen istis ingenijs non
sapiunt. Squalorem, inquit, & situm redolent.
Qua in re non absimiles mihi videntur illis, qui ad-
eo delicatos oculos habent, vt non dignentur as-
picere tabulam aliquam, Michaelis Angeli, aut
Raphaelis, aut Titiani diuina manu pictam, pro-
pterea quod omnia atrodenstempus æuum ali-
quem aut pallorem colorum induxit. Neque enim
idonei sunt oculi illorum ad faciendum iudicium
de admirabilibus lineamentis, quæ apparent in an-
tiquitate, sub carie tabularum istarum pulcerra-
marum, vetustate & fumo pæne corruptarum. Et
quemadmodum nihil interest, siue febricitantem
imponas aureo preciosoque lecto, siue culcitæ
stramentitiæ; quietem enim nec hic nec illic inue-
niet, sed modo in hoc, modo in illud lectus lecti se-
se volutans non poterit in vno aliquo loco quies-
cere, propterea quod quocumque tandem recum-
bat, vbique eum comitatur morbus suus, nec vs-
quam ab eo recedit anxia & morosa febris: Ita vo-
bis quoque ô noui Christiani, quemcunque ran-
dem cibum apponamus, nihil palato vestro sapit,

& quidquid infunditur ex vna parte, ex altera, ve-
lut dolia Danaïdum, reijcitis.

V. Non desunt ex nouæ istius Religionis secta-
toribus, qui scrupulo aliquo conscientiæ percussi,
alij hoc, alij illud confitentur ac concedunt di-
centes plerique, vltterius, quam oportuerit, fal-
cem immisissam fuisse in eas res, quæ plurimum
habent sanctitatis pietatisque, non decuisse om-
nes illas ceremonias relegare, quæ in Ecclesiæ
Romana longa iam annorum serie vigerunt,
quæ oculos nostros erudiunt, quemadmodum
verbi prædicatio, aures; considerandam fuisse
ipsam ceremoniarum substantiam, quom sint my-
stica, & rerum diuinarum significationem con-
tineant. Verum, inquit, Ethnici & Idolola-
træ earum sunt auctores, easque, ad cultum fal-
sorum deorum suorum procederunt. Et honor
illis deferretur is, quem non merentur. Dicen-
dum erat vobis, non auctores earum fuisse Ethni-
cos, sed imitatores quosdam ac mimos Diabo-
lus enim, simia indolem referens, quæ gestu co-
natur exprinere quidquid videt, volens amula-
ri Creatorem suum, ad decipiendos homines,
multas sanctissimas ceremonias à filijs Dei mu-
tuatus est, easque metamorphosi quadam ne ag-
noscerentur, transformauit. Econtrario autem
ad decipiendos Christianos, easdem illas cere-
monias, quom sint illi extortæ è manibus, pro-
fus è medio tollere aggreditur. Diabolum in-
quit iustius sub finem primæ suæ Apologiæ, in-
ter Paganos baptismo quoque vti, & militum
suarum frontem eodem signo signaculo signare
(signum Crucis intelligens) panis oblationem &
resurrectionis memoriam itidem vt inter Chri-
stianos celebrari. Et Tertullianus, Diaboli frau-
dem & malitiam inde ait cognosci, quod à vero
Dei cultu quædam mutuetur, vt ad fidem perti-
nere Christianam videantur Religionem nostram
talem vos representatis, Calvinistæ, ac si de-
sumta esset ex Paganismo, eaque est quotidiana
vestra exprobratio. Primis Christianis ideme-
uenit: nam impius ille Apostata, & Philosophus
Celsus, discipulus magistri voluptatis Epicuri,
ducti zelotypia quadam, quod præclarum illum
Christianorum ordinem viderent, affirmabant
circiter annum Seruatoris centesimum sexagesi-
mum, pulcherrimum quodque quod in Christia-
norum Religione vigeret, id eos ab Ethnicis tam-
quam clientelari iure possidere. Hoc iudicium
esse facti in ipsorum bona admissi. Omnes illas
votum

vocum elegantias raptas esse ex Homero, Hesiodo, Platone, Pythagora & alijs. Ornam esse Religionem Christianam ex interpolato Gentilismo. Idem vos nobis objicitis, Calumniam, ut si vobis credendum sit, nos sumus summa quaedam Ethnicorum.

Quod si Orthodoxorum Patrum diuina scripta euoluamus, liquido constabit, Ethnicæ infidelitatis dogmata, fabularumque gentiliū falsam veritatem, fuisse ab illis, admirabili quadam dexterritate atque prudentia, ad fidei & Religionis Christianæ puram veritatem reducta, dum ad oculum illis demonstrarunt, nihil esse aliud Gentilismum, quam veræ Religionis imitatoriam quandam expressionem. Omnia idololatriæ illorum mysteria compilata esse ex Lege Dei, & defumta a Iudeis, qui soli habuerunt perfectam Dei cognitionem: eaque Poetas illorum temporum & ceteros viros præstantes, non ausos fuisse in lucem proferre, deterritos exemplo Socratis, sed fabulis ea inuoluisse, & tam sublimatis istius, quam cælestis illius naturæ excellentissima quæque mysteria, sub Poeticarum fictionum inuolucris occultauisse. Id quod clare ostendit Iustinus, in admonitione ad Gentiles, de Homero loquens, qui optimos quoque tractatus diuinæ Iliados suæ, & Odysseæ, ex libro Geneseos hausit. Ibi creationem mundi, ibi laudem maiorum Angelorum, ibi Paradisi terrestri, ibi Inferni videmus descriptionem. Clemens Alexandrinus in Menandro notat decem Dei Præcepta ex ordine pronuntiata. Prisci Christiani talibus Ethnicis dictis aggrediebantur. Facere enim non possum, quin hanc molestiam, vel potius hanc delectationem præbeam Lectori, ut vestigia mea sequatur per diuersa ambulacra huius septi, ad agnoscendam veterum Patrum recentis adhuc Christianismi prudentiam. Sic enim in hortum tandem deueniet, pulcherrimis flosculis ornatum, areolis distinctum, & viridantibus arboribus in quincuncem velut dispositis constitutum, summas denique verni temporis amonitates spirantem: simulque illa cognoscat quæ frustra alibi forsitan querat, Caluini in primis malitiam, qui nouellam suam Ecclesiam multis pulcherrimis & sanctis rebus nudauit, eo tantum, ne antiquitatem imitari videretur. Sed audiamus veteres Christianos cum Paganis loquentes. Vos aiebant, creditis Mineruam vestram natam esse de cerebro Iouis, quæ fabula omnium seræ Poetarum vestro-

rum ingenia exercuit. Iesus Christus vera est Minerva & Sapiens, progenia ex Patris cælestis secunda memoria. Mercurius vester de cælo delatus in terras, & de terris redit in cælestem, ad perferenda dijs hominibusque magni Iouis patris sui mandata. Iuppiter iste, quem auctoritu vos adoratis. Deus est Cæli: eius inter-nunciij & Legati, sunt Angeli, ut Mercurius Iouis vestri. Vester ille Danaen ad amavit: & noster, Virginem immaculatam. Illum patrem dicitis Dei filius bis nati. Quod figura est veri Dei Filij, qui bis est generatus, primum ut Deus, ab omni æternitate; deinde ut homo, in tempore. Bis non est Ianus vester: & noster Iesus Christus duas habet Naturas, ita inter se distinctas, ut per vnā ambulet inter mortales, per alteram autem in Paradiso imperium exerceat in Angelos. Herculem vos creditis portas inferorum effregisse: & à Iesu hoc potuisse fieri quid est cur non credatis? Herculis viam affirmatis totam fuisse laboriosam, domuisse eum immanissima terræ monstra: Noster Hercules Christianus cælestis descendit ad venenum mortis sanguine suo diluendum dissoluendumque, & ad peccatum è mundo exturbandum. Vester Hercules nostri tantum figura quædam fuit. Vester Apollo, est Medicus noster, Saluator & Sanator. Vester Apollo propter restitutam Hippolyto vitam diuinitate ad tempus priuatus fuit, & terreni Regis bubulcus factus: & noster, ut humano generi, ruinam peccatorum suorum obuito, vitam repararet, relicto Cælo, inter nos habitauit, ex Domino factus subditus & tributarius Augusti ac Herodis. Deu-calion vester, ex historia Diluuij desumptus Phæthontis fabula, ex retrogradatione solis, facta tempore Ezechie: Figmentum de filiis terræ, qui Ossa Olympo, & Pelion Ossa volebant superimponere, tractū est ab ædificio Turris Nimrothi, qui Cælos aggrediebatur conscendere. Quidquid denique Homerus vester, Hesiodus & alij ceteri erunt, ex libris Moysi est haustum. Vos in truijs vestris Her-mas collocaus, seu ligneas statuas Mercurium referentes, quem deum viarum indigitatis: & nos ibidem Crucem desigimus, signum nostræ Redemptionis, ad indicandum, esse eam regionem Christianam. Mille alia exempla ex fabulosis Ethnicorum narrationibus petruerunt, quibus ad salutis suæ cognitionem non raro eos reuocarunt. Ita ut dici non immerito possit, Ethnicorum superstitionem, admirabili quadam Dei providentia, fuisse figuram, imaginem, ideam